

Como en muchos AA constan los Decretos dados desde años muy remotos v g. Piton que los trahe desde 1262 y todos los mas desde 1602, aunque ninguno pasa del año 1760; de aquí es, que solo me he propuesto el copiar, no todos, sino algunos de los mas esenciales desde 1761, pues el que quiera saber otros mas antiguos, podrá ocurrir à Gabanto, Cavallieri, Irayzos, Piton Ferraris &c.

Atendiendo á las conciencias timoratas, he puesto el mayor empeño en que éste cuaderno salga enteramente correcto, principalmente en la substancia de dichos Decretos que he copiado al pié de la letra.



))
(**DECRETA AUTHENTICA.**)
())

— § —

1. **I**n Missa de Vigilia Nativitatis haec verba, quae post collectam leguntur: *et dicitur haec Oratio tantum*: excluduntne Orationes à Superiore praeceptas, V. G. pro pace, pro aeris serenitate &c.?

Ad 5, *In Missa Vigiliae Nativitatis debent omitti Orationes à Superiore praeceptae ver. gr. pro pace, pro aeris serenitate &c.*

2. Extatne aliquod Decretum prohibens ne in benedictione SSmi Sacramenti ante Orationem dicatur: *Dominus vobiscum*? Asserunt multi; Rituale tamen etiam nuper a Benedicto XIV. editum id praescribit in festivitate Corporis Christi post reditum Proce-

ssionis.

Ad 7. *In Benedictione SSmi. Sacramenti ante Orationem non debet dici Dominus vobiscum, juxta decretum S. R. C. in Granaten. 16. Junii 1663.*

3. Item cum primum accipitur nuntium de obitu alicujus in loco dissito, potest in de duplici cantari Missa de Requiem ex decreto 1668. A fortiori celebrari possunt exequiae pro defuncto pridie sero sepulto. Verum si contingat Sabbato post meridiem sepeliri cadaver, aut accipitur nuntium, nonne tunc feria 2. sequenti poterit cantari Missa de Requiem, etsi Officium sit duplex non festivum?

Ad 13. *Si Sabbato post meridiem accipiat nuntium de obitu alicujus in loco dissito, poterit feria secunda sequenti cantari Missa de requiem, etsi Officium sit duplex non festivum. Ita decrevit. S. C. R. Die 3 Martii 1761.*

4. An Parochi teneantur associare cadavera tumulanda in Ecclesia Regularium usque ad Crucem, vel potius usque ad januam Ecclesiae, ibique dare ultimam valde?

Ad 1. *Negative ad primam partem. Affirmative ad secundam.*

5. An Regulares, quatenus associationi non fuerint invitati, teneantur expectare, et

recipere cadavera in janua eorum Ecclesiae in casu &c?

Ad 2. *Affirmative,*

6. An liceat haeredibus defuncti asportare cadavera e propriis domibus ad Ecclesiam Parochialem per modum depositi, antequam illa processionaliter deferantur ad Ecclesiam Regularium, et Parochi teneantur recipere?

Ad 3. *Affirmative in omnibus, petita tamen, quamvis non obtenta, licentia Parochi.*

7. An, et quale emolumentum debeatur Parochis ratione ejusdem depositi in casu &c?

Ad 4. *Deberi Parocho intortitia tantum, quibus cadaver expositum fuit, dummodo aliquas preces expleverit.*

8. An Parochis, coeterisque Ecclesiasticis associantibus cadavera, ad Ecclesias Regularium, liceat exigere pro dicta associatione majorem eleemosynam, et emolumentum, seu potius illud dari solitum, occasione associationis faciendae ad Ecclesiam?

Ad 5. *Negative ad primam partem. Affirmative ad secundam. Ita decrevit. S. C. R. Die 7 Maii 1763.*

9. An decretum editum a S. R. C. 11. Julii 1739. in quo statuitur ab Episcopo Ordinationem habente diebus a jure praestitu-

is celebrandam esse Missam de Feria, non autem de Sancto forte eadem die occurrente, comprehendat, et intelligi debeat, etiamsi Missa privatim, et sine cantu ab Episcopo Ordines conferente dictis diebus celebretur?

Ad 1. *Affirmative*

10. An in Missis solemnibus, quae celebrantur in Altari, quo publicae venerationi est expositum SSimum, Sacramentum, Subdiaconus sustinens Patenam debeat genuflectere, quando Celebrans post Offertorium genuflexus thurificat SSimum, Sacramentum, sicut genuflectit in actu Consecrationis, et Elevationis?

Ad 1. *Negative. Ita decrevit S. C. R. Die 11 Februarii 1764.*

11. An diebus 3, 7 et 30 à depositione defuncti, in quibus occurrit Officium duplex per annum, non tamen festivis de praecepto, celebrari possint Officium, et Missa defunctorum? Et an praedicti dies numerari debeant à die obitus, vel à die depositionis?

Ad 2. *Affirmative ad primam partem, dummodo sermo sit de Missa cantata: ad secundam partem, praedictos dies 3. 7. et 30. posse numerari à die obitus, sive à die sepulturae. Ita decrevit S. C. R. Die 23 Augusti 1766.*

12. An festis, et Dominicis primae classis et signanter Dominica SSmae Trinitatis liceat canere Missam Votivam B. M. V. pro re gravi cum interventu Cleri, assistentia Episcopi, praesentia Magistratus, et concursu populi, vel potius in tali circumstantia addenda tantum sit Oratio B. M. V. in Missa conventuali post Orationem Festi sub unica conclusione?

Non licere, praeter commemorationem in Missa conventuali. Ita decrevit S. C. R. Die 12 Septembris 1767.

13. Cum pluribus in locis sit à S. R. C. concessum Officium Sacratissimi Cordis Jesu sub ritu dup. maj in Feria VI post Octavam Corporis Christi recitandum; cumque secundae Vesperae Octavae Corporis Christi concurrant cum primis Vesperis Officii Sacratissimi Cordis Jesu; dubitatur, cuinam ex duobus Festis sint integrae Vesperae concedendae?

Ad 3. *Integras Vesperas recitandas esse diei octavae Corporis Christi absque commemoratione Sacratissimi Cordis Jesu. Ita decrevit S. R. C. Die 17 Augusti 1771.*

14. An Festum Conceptionis B. M. V., quae est titulus Ecclesiae Cathedralis, celebrari debeat sub ritu dupl. I class. tam in Ci-

vitae, quam in Dioecesi, et ab utroque Clero?

Ad 5. *Affirmative. Ita decrevit S. C. R. Die 22 Augusti 1772.*

15. Cum in Festis duplicibus primae classis non possit cantari Missa solemnis votiva, etiam ad invocandum Spiritum Sanctum pro felice successu Comitiorum generalium, vel Capituli; quaeritur: An tunc addi possit Collecta de Spiritu Sancto sub unica conclusione?

Ad 7. *Affirmative.*

16. Cum Officio SSmi. Nominis Jesu aliquando translato occurrente Dominica Septuagesimae, assignata sit dies 28 Januarii, ne celebretur in Quadragesima; quaeritur: An, occurrente Officio in proprio loco ritus duplicis, debeat illud transferri, cedendo Officio SSmi. Nominis Jesu ob uniformitatem cum universali Ecclesia?

Ad 8. *Affirmative.*

17. An in Feria V. in Coena Domini celebrari possit in Ecclesia una Missa privata propter infirmos, excepta solemni?

Ad 9. *Arbitrio Episcopi. Ita decrevit S. C. R. Die 27 Martii 1773.*

18. An Canonicis usum cappae, et rochetti habentibus liceat Sacramenti administrare cum solo rochetto, et deposita cappa?

Ad 1. *Sacramenta esse administranda cum superpelliceo, et stola, juxta Rituale Romanum, Et ita declaravit S. R. C. Die 19 Junii 1773.*

19. An, et qui color sit adhibendus in Officio, et Missa S. Eliae Prophetae?

Adhibendum esse colorem album. Et ita declaravit S. C. R. Die 11 Decembris 1773.

20. An in illis Provinciis, vel Ordinibus regularibus, in quibus sub aliquo titulo colitur, et veneratur Deipara Virgo tamquam Patrona, in seriali Officio fieri debeat in Suffragiis Sanctorum commemoratio de eadem, veluti de Patrona cum consueta Antiphona, *Sancta Maria succurre miseris &c.*, etiamsi ejus Officium parvum in Choro fuerit recitatum?

Ad 14. *Affirmative. Ita decrevit S. C. R. Die 28 Martii 1775.*

21. Sanctissimus Dominus N. Pius PP. VI benigno concedit, ut omnes et quicumque sacerdos in nostris, vel monialium Ecclesiis Missam quacumque ex causa, et occasione celebrantes, Missale Franciscano prorsus in omnibus uti possint. *Die 5 Septembris 1775*

22. An Diaconus in Ordine tantum Diaconatus constitutus extra casum necessitatis, possit distribuere Fidelibus Communionem, in casu &c.

Negative. Et ita declaravit, ac servari mandavit. S. C. R., Die 25 Februarii 1777.

23. An, ubi primae Dominicae singulorum mensium, in quibus facienda est sollemnis expositio SSmi. Sacramenti fuerint privilegiatae primae, et secundae classis, cantanda sit Missa de SSmo Sacramento, seu potius de iisdem Dominicis privilegiatis primae, vel secundae classis cum oratione sub unica conclusione de laudato SSmo. Sacramento?

Ad 1. Negative quoad primam partem Affirmative quoad secundam. Ita decrevit. S. C. R. Die 27 Januarii 1778.

24. An Festum Nativitatis S. Joannis Baptistae reponendum sit in Festis celebribus, itaut in eo non possit cantari Missa unica sollemnis de Requiem cadavere praesente?

Affirmative. Et ita declaravit, ac servari mandavit. S. C. R., Die 12 Septembris 1778.

25. An Missa de Requiem, quae cantatur cum primum accipitur numtium de obitu Religiosi in loco dissito differri possit ad triduum?

Ad 2. In prima die non impedita.

26. An dicta Missa possit in Vigilia Epiphaniae, et infra Octavas privilegiatas?

Ad 3. Affirmative quoad primam partem. Negative quoad secundam.

27. An in Festo S. Clarae, quae apud Franciscanos celebratur sub rit. dupl. I. class. cantari possit Missa de Requiem, praesente corpore?

Ad 4. Affirmative, excepta tantum Ecclesia Titulari, ubi celebratur Festum S. Clarae.

28. An Sacerdos cantaturus Martyrologium in vigilia Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi indutus Stola, et Pluviali, accedere debeat ad Superiorem gestantem habitum quotidianum, eique naviculam ministrare pro impositione incensi, et genuflexus ab eo benedictionem petere pro anuntianda eadem Nativitate; seu potius idem Sacerdos imponere debeat incensum, et anuntiare praefatam Nativitatem ejusdem Domini Nostri Jesu Christi absque ulla petitione benedictionis faciendae Sacerdoti?

Ad 11. Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam.

29. An Sacerdos pergens ad celebrandum et Calicem manu sinistra portans, possit ad januam Sacristiae accipere aquam benedictam, eaque se signare?

Ad 14. Si commode fieri potest, se signet sin minus, se abstineat.

30. An Praelati regulares, etiam locales,

possint ordinare Collectam dicendam in Missa à Subditis suis, tam pro necessitatibus Ordinis, quam pro necessitate communi?

Ad 16. *Non licere sine licentia Episcopi.*

31. An, quando in gratiarum actione cantatur hymnus *Te Deum* coram SSmo. Sacramento publici exposito, Clerus tam ad Altare, quam in Choro debeat manere genuflexus, vel potius stare?

Ad 17. *Standum esse,*

32. An commemoratio Sancti simplicis occurrentis in duplici secundae classis, omitti debeat in Missa conventuali sine cantu, sed lecta à Communitate religiosa?

Ad 18. *Affirmative.*

33. An Missae votivae solennes pro re gravi, vel pro publica Ecclesiae causa, cantari possint in Dominicis primae, vel secundae classis, et in Festis duplicibus primae, et secundae classis, nec non in Feriis, vigiliis, et aliis diebus privilegiatis, Officia primae, et secundae classis excludentibus?

Ad 20. *Negative in duplicibus primae classis, Dominicis primae classis, Feriis Cinerum et majoris hebdomadae vigiliis Pentecostes, et Nativitatis Domini; in reliquis Affirmative. Ita decrevit S. C. R. Die 27 Martii 1779.*

34. An Regulares in Festis principali-

bus suorum Ordinum, et maxime in Festo Fundatoris, seu Patriarchae possint addere Symbolum in Missa celebranda extra proprias sui Ordinis Ecclesias?

Ad 7. *Affirmative.*

35. An commemoratio SSmi Sacramenti ob ejus expositionem in duplici primae, et secundae classis debeat uniri cum oratione Missae sub unica conclusione, quando insimul concurrunt aliae commemorationes de praecepto, aut de Feria majore?

Ad 8. *Unendum esse in fine aliarum Commemorationum de praecepto.*

36. An quando defunctus tunculatus fuit vespere ob aliquam causam, possit sequenti mane fieri Officium, et Missa cantari de Requiem, etiamsi recitetur de Festo duplici?

Ad 9. *Affirmative, exceptis tamen diebus, in quibus Missae cantatae de Requiem prohibentur absente cadavere.*

37. An inter Regulares tam Celebrans quam Assistentes in celebrandis matutinis solemnibus possint uti pluviali à principio Officii?

38. An in Oratione, et Versiculis B. Francisci, possit addi à Franciscanis=Beati Patris nostri?

Ad 15 et 16 *Negative.*

39. An in Dominicis Quadragesimalibus

et Paschalibus debeat recitari Praefatio de tempore respectivo, vel Praefatio Trinitatis?

Ad 19 In Dominicis Quadragesimalibus et Paschalibus debet recitari Praefatio de tempore, non vero de SSma Trinitate.

40 An in Missa conventuali absque Diaconis cantata adsistentibus tantum Thuriferario, et Ceroferariis. et praesente Clero, seu Communitate, adhiberi possit thus tam in principio Missae, quam in Evangelio, et Offertorio?

Ad 21. Negative.

41. An in impositione thuris debeant proferri verba; ab illo benedicaris, quando imponitur incensum in thuribulo, ut videtur insinuari in Rubrica generali, vel dum efformatur signum Crucis, ut exequitur in Rubrica particulari, in qua Crucis effigies invenitur inserta in verbo Benedicaris, ubi etiam similiter fit in omnibus aliis benedictionibus, ubi Crux manu describitur illo in verbo, ubi Crucis schema extat depictum?

Ad 23. Serventur Rubricae generales Missalis Romani cap. 4 de Introitu n. 4.

42. An Pulpitum, ubi sermo recitatur in functione lotionis pedum in Feria quinta majori, debeat esse ornatum vel denudatum?

Ad 24. Affirmative quoad primam per-

tem; Negative quoad secundam. Et ita declaravit, ac servari mandavit. S. R. C. Die 18 Decembris 1779.

43. An Ecclesiae certo non consecratae vel de quarum Consecratione dubitatur, Officium Dicationis earum ab immemorabili recitari, et celebrari consuetum, continuari possit?

Responsum fuit, Quoad Ecclesias certo non consecratas Negative. Quoad Ecclesias vero, de quarum Consecratione dubitatur, stante asserta immemorabili consuetudine, nihil innovandum. Et ita declaravit, ac servari mandavit. S. C. R. Die 22 Aprilis 1780.

44. An jejunium in Pontificali Romano praescriptum iis, a quibus consecratur Ecclesia, sitne strictae obligationis, seu potius tantum de consilio?

Ad 1. Jejunium in Pontificali Romano praescriptum esse estrictae obligationis pro Episcopo consecrante, et pro iis tantum, qui petunt sibi Ecclesiam consecrari: idemque jejunium indicendum esse die praecedente Consecrationi ad formam Rubricae Pontificalis. Ita decrevit. S. C. R. Die 19 Julii 1780.

45. An in die S. Marci, ac in tribus

Feriis Rogationum teneantur Regulares cantare Missam conventualem de Rogationibus, seu potius de Festo currente cum commemoratione Rogationum, cum Regulares non teneantur ad duas Missas eadem die?

Ad 1. *In duplicibus primae, et secundae classis conendas esse duas Missas; in reliquis dilata.*

46. An Rubrica posita in Missa S. Joannis Apostoli, assignans Praefationem de Nativitate, accipienda sit generaliter, itaut talis Praefatio debeat dici in omnibus Missis festivis occurrentibus infra Octavam Nativitatis, etiam habentibus Praefationem propriam; sen potius dicta Rubrica sit exceptio Rubricae generalis, itaut in sola Missa S. Joannis Apostoli debeat dici Praefationem Nativitatis, non vero in alis Missis sive festivis sive votivis propriam Praefationem habentibus?

Ad 3. *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.*

47. De Vigilia, qua occurrit in Adventu nihil fit in Officio; quaeritur: Utrum in Missa, in qua de Vigilia fit commemoratio, legendum sit ejus Evangelium in fine?

Ad 4. *Affirmative, exceptis Feriis quatuor Temporum.*

48. Utrum; quando non prohibentur Mis-

sae defunctorum, possit celebrari Missa de Requiem pro defunctis vage sumptis, idest pro quibus communitas debet applicare aliquam, vel aliquas Missas, quin Celebrans sciat determinate, sitne pro Sacerdote, pro laico, pro viro, pro foemina? &c.

Ad 5. *Affirmative.*

49. Quaeritur; quae prima Oratio erit dicenda in tali Missa?

Ad 6. *Dicendam esse primam Orationem: Deus; qui inter Apostolicos &c. ut habetur in eodem Missali.*

50. Utrum sub prohibitione celebrandi Missas privatas post solemnem decantatam, et administrandi Fidelibus sacram Eucharistiam in nocte Nativitatis, comprehendantur Carmelitae utriusque sexus, maxime cum apud illos cantetur Missa solennis non in media nocte sed circiter horam tertiam?

Ad 7. *Affirmative.*

51. An consuetudo contraria immemorabilis valeat sustentari saltem quoad Moniales, Religiosos choristas, et laicos?

Ad 8. *Negative.*

52. Utrum inter suffragia Sanctorum fieri debeat a Regularibus commemoratio titularis suae Ecclesiae, non obstante, quod etiam fiat de Patrono principalis Religionis?

Ad 22. *Affirmative. Et ita declaravit, ac servari mandavit. S. C. R. Die 16 Februarii 1781*

53. Cum Serenissimus Eturiae Magnus Dux, et Austriae Archidux pro eximia animi sui erga Sanctam Sedem Apostolicam religione, et observantia cum in rebus omnibus, tum maxime in sacris ritibus, SSmo. Domino Nostro Pio PP. VI. humillime supplicaverit, ut in cunctis suis Dominiis celebrari possit una sollemnis Missa de Requiem diebus etiam festivis de praeepto, et duplicibus secundae class. una cum absolutionibus, et precibus, quae in die obitus fieri, et recitari solent, etiamsi cada-ver in Ecclesia praesens non sit.

Eadem Sanctitas Sua, ad relationem Emi. Archinto S. R. C. Praefecti, audito prius consilio Congregationis particularis ab Ea deputatae: *Petitam facultatem in casu, de quo agitur benigne concessit, etsi cadaver tumulatum non fuerit, sed ea, qua decet, religione, servetur in loco decenti proximiori Ecclesiae, apposito tamen in Ecclesia, lodicis, seu nigri panni signo ab eo diverso, quod in Aniversario adhibetur, ut Fideles intelligant, Missam hisce diebus offerri in expiationem animae illius defuncti, cujus corpus traditum ter-*

rae adhuc non fuit, et Ecclesiae precibus etiam proprias adjungant. Quibuscumque in contrarium minime obstantibus. Die 25 Aprilis 1781.

54. Cum in constitutionibus Ordinis S. Benedicti cap. 31. praecipitur, ut quoties aliqua ex Religiosis decesserit, toties diebus 3. 7. et 30., et anniversaria celebretur una Missa cantata de Requiem, ut in die obitus in suffragium cujuscumque Religiosae; Abbatis, et Religiosae Monasterii S. Justinae Ordinis praedicti S. Benedicti Civitatis Lucanae, S. R. C. humillime supplicaverunt, quatenus declarare dignaretur: An liceat praedictam Missam celebrare quoties dictis diebus 3. 7. et 30., ac anniversaria occurrat Festum rit. dup.

Et eadem S. C., referente Emo. et Rmo. Domino Cardinali Archinto Praefecto, et Ponente; audito etiam voto R. P. D. Josephi Dini Apostolicis caeremoniis Praefecti, re mature perpensa, respondit: *Licere, exceptis duplibus primae, et secundae classis, ac diebus festivis de praeepto. Die 2 Augusti 1783.*

55. Inquiritur qualis in die Commemorationis defunctorum, cum pro uno tantum Missa applicatur, dici debeat nimirum si prima propria diei, aut vero Missa commu-

nis sub ritu semiduplici?

Ad 2. *Cum Lusitani gaudeant privilegio tres Missas celebrandi in die Commemorationis Defunctorum, quaecumque trium à Benedicto XIV. ipsis praescriptarum possunt dicere, licet pro uno tantum Missa applicetur.*

56. Inquiritur, numquid Feria V. in Coena Domini, dum solemnissimè Missa cantatur, Crux cooperta esse debeat velo albo, ratione solemnitatis diei, seu violaceo propter Passionis tempus?

Ad 4. *Albi coloris debet esse velum Crucis Altaris, in quo Missa celebratur: violacei vero Crucis Processionis, et Altaris locationis. Et ita declaravit, ac servari mandavit. S. C. R. Die 20 Decembris 1783.*

57. Quum ex peculiaribus Dubiis ex parte nonnullorum Parochorum, seu aliorum, ad praescriptarum in Rubricis regularum observantiam deputarum, S. R. C. propositis compertum fuerit, non levem alicubi subortam esse dubitationem, et controversiam super intelligentia generalis illius Rubricae, quae in Missali Romano adscripta legitur ante Missam pro Sponso, et Sponsa, videlicet: *Quod si benedictio nuptiarum facienda sit pro Sponso, et Sponsa die Dominico, vel alio die festo. dicatur Mis-*

sa de Dominica. vel festo &c. cum commemoratione sequentis Missae pro Sponso et Sponsa Dum aliqui censent Rubricam illam locum habere in omnibus diebus, quibus celebratur Officium, et Missa de Festo duplici sive majoris, sive minoris ritus, quibus proinde minime licet praemissas inibe Missas votivas pro Sacerdotum devotione celebrare: Alii vero putant, praefata verba, *vel alio die festo* intelligenda tantum esse de Festis solemnioribus, et festivis de praecepto.

Hinc Sac. eadem Congregatio, referente Emo. et Rmo. Domino Cardinali Corsino Episcopo Sabinensi, ad dirimendas in posterum controversias, et dubitationes de medio tollendas, praesenti generali Decreto statuit: *In celebratione Nuptiarum, quae fit extra diem Dominicum, vel alium diem festum de praecepto, seu in quo occurrat duplex primae, vel secundae classis, etiamsi fiat Officium et Missa de Festo duplici per annum sive majori, sive minori, dicendam esse Missam pro Sponso, et Sponsa in fine Missalis post alias Missas votivas specialiter assignatam: in diebus vero Dominicis, aliisque diebus festis de praecepto, ac duplicibus primae, et secundae classis, dicendam esse Missam de Festo cum commemoratione Missae pro Sponso, et Sponsa.*

Atque ita decrevit et servari mandavit. Die 20 Decembris 1783,

58. An extra casum necessitatis possit permitti à Superioribus, ut canonicus constitutus in minoribus Ordinibus cantet Epistolam in Missis solemnibus paratus absque manipulo?

Ad 1. *Negative.*

59. Utrum retineri debeat, ut duo Diaconi assistentes à lateribus Episcopi in solemnissima Processione Corporis Christi, et Feria V. in Coena Domini, parentur amictu, alba, et dalmatica?

Ad 2. *Affirmative, saltem quad primum Diaconum assistentem in omnibus functionibus, in quibus ponendum sit, vel deponendum SSimum. Sacramentum.*

60. Sac. Rit. Congregatio die 6 Decembris 1653. decrevit, quod Missa de Dominica cujuslibet mensis, seu festo duplici, cum sit particularis Processio cum SSmo. Sacramento, dici debeat cum commemoratione ejusdem; at quaeritur, si Processio absoluta fuerit. Sanctissimumque reconditum, antequam cantetur Missa conventualis, utrum debeat fieri in dicta conventuali eadem commemoratio?

Ad 5. *Negative. Atque ita servari mandavit Die 17 Septembris 1785.*

61. An in Festis solemnioribus anni, aut occasione particularis Jubilaei, aut Indulgentiae, quibus temporibus à Parochis maximo apparatu, et pompa defertur SSimum. Eucharistiae Sacramentum Infirmis, omnes Ecclesiae sive Saecularium, sive Regularium, sive Monialium, non obstante cuacumque consuetudine etiam immemorabili, in contrarium, teneantur, ac debeant, solemniter pulsare campanas, dum praefatum SS. Sacramentum tam in eundo, quam in redeundo transit non solum ante portas majores, et laterales earundem Ecclesiarum, verum etiam quando transit ante januam domus, conventus, monasterii, aedis parochialis, et capitularis, quae respectivis Ecclesiis sit adnexa?

Affirmative. Ita decrevit S. C. R. Die 10 Martii 1787.

62. An liceat Canonicis in Missis privatis tam intra, quam extra Cathedralem uti opera inservientis Missae tam pro delatione Calicis ad Altare, et illius reportatione ad Sacristiam, quam pro susinendo Missale, indicando Orationes, aperiendo, et porrigendo Patenam cum Hostia, tergendocalicem, eumque postea cum velo instruendo in casa &c?